

VIRVM  
GENEOSVM, NOBILISSIMVM ATQVE  
AMPLISSIMVM DOMINVM

FRIDERICVM  
REINHOLDVM  
HORNIVM

SECRETARIVM REGIAE CIVITATIS ELBINGENSIS

HACTENVS

DIGNISSIMVM MAXIMEQVE MERITVM

DIE II. MARTII A. MDCCLXI.

IN

ORDINEM CONSVLAREM

COOPTATVM

ANIMO

GRATVLATIONIS ET VENERATIONIS

PLENO

PROSEQVITVR

DAN. REINHOLD RHODEN.

ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.



## MENALCAS. DAMON.

MEN. **I**am pecudes large nostris pascuntur in agris:  
Iam graciles agni viridantia gramina carpunt,  
Et pingui pastu spem monstrant, lucra futura.  
Nec tenebrae suadent ad tecta reducere pastos:  
Nec vult Phoebus equos properantius aequore mergi.  
En tiliam! longo tractu quae spargit opacam  
Umbram; Nonne iuuat molli confidere campo,  
Et calamo laudes veterum cantare sonoro?

DAM. Haud inhiat rabidus pecori lupus; alba capella  
Pratis lasciuit; nec abest Myrtillus in aruis  
Custos ipse gregis, cupiens impendere curam.  
Otia nunc nobis sunt, nunc celebrare licebit,  
Quantiscunque chorus pastorum rebus abundet.  
Mens vacat a cura - - MEN. Nobis haec otia fecit  
Pan, & pastorum prudentia, docta salutem  
Arte leuare sua, nos & seruare virentes.

DAM. Sane laude sua digni, meritisque superbi!

Ast quid consilii, nec dudum, concio cepit?

Quidue frequens agitat coetus? quae scita placebant?

Nam mihi migrandum peregre fuit. Vlla caprarum

Si sit cura meae fidei concredita; fas est

Non temerare fidem. MEN. Quid? te latet, omne vocari

Concilium gentis, cum publica commoda poscunt?

Hos penes est nostrae communis cura salutis.

Illic decretum, socios adsciscere curae.

Est quidam lectus, cui sit custodia nostri.

DAM. Dic, fodes, quis fit? cuius prudentia magna

Et grauitas praecelsum conciliauit honorem?

MEN. Ne te detineam suspensum, noster Amyntas.

DAM. Nostrae deliciae? quid ais? vah! noster Amyntas?

Nos fortunatos! bene cedant omnia votis.

Quid meritis eius maiorum celsius vnquam?

Olim vere nouo ridentia prata videres;

Aura dabant largos fructus; cythofoque repleti

Vndantes riui, queis limpida lympa fluebat.

In campis segetes, illic cerealia dona,

Vuae purpureae, turgescunt; trudit & arbos

Vernales gemmas, dulcem pastoribus escam.

Telluris facies nostrae lactissima genti

Et foecunda gregi, qui largo lacte tumescens

Per campos errat, vitulus saltatque petulcus.

Deficit haud quicquam; fructus, opulencia rerum

Cunctarum, ditant pastores atque secundant.

O vos felices! o prospera tempora! quantum

Isti sunt meriti nostra de gente priores.

MEN. Et mihi pastori sunt agri, florida tellus,  
Eius maiorum cura ditissima frugum,  
In qua pinguescunt pecudes, armenta, gregesque.

DAM. Et similis nostrum non cura fatigat Amyntam,  
Ludere iam volupe est, & nos celebrare beatos.

MEN. Eia, age! nam tanti est; nostrumue canamus Amyntam,  
Grande decus nostrum. Dum pascit nostra capella  
Gramineis in agris & abundat dulcibus escis,  
Quae saepe nostra mulcetur arundine suavi;  
Carminis & nostri caput esto, noster Amyntas,  
Crebrius hunc laudare iuuat.

DAM. Dum Phoebus ad aequor  
Quadriiugo vectus curru non venit, opacas  
Umbras expandens, & ego sub tegmine fagi  
Hic recubo; nostrum carmen modulabor auena,  
Non reticebo pii praeconia laudis Amyntae.

MEN. Dum choreas ducet pastorum concio laetas,  
Et Galatea suum gaudens mulcebit Alexim;  
Ansam carminibus nostris dabit ipse Amyntas.

DAM. Semper erit concors nostri modulamen Amyntae.

MEN. Deliciae, nostrique gregis solatia, Amyntas,  
Elogio dignus constanti & laude perenni.

Omnia dum rident quam formosissima prata,  
Fructibus & largis arbor onerata virefcit;

Dum seges in campis foecundo flore tumescit;

Dum laetis in agris mollis flauescit arista;

Dum coetus nostri durabunt aurea secla;

Semper erit nostrum, semper mihi, carmen, Amyntas.

